



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Ludovici Richeomi Societatis Ies. Valedictio Animæ Deuotæ

Richeome, Louis

Coloniæ, 1610

Incitari nos debere ad mortis præparationem, cum quantum bene mori referat consideramus. Colloq. XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50753](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50753)

denique quocunque oculos suos conuerterint, siue in prosperis, siue in aduersis obtutum defixerint, omnia negotia, omnes vicissitudines temporum & mundi ruinas contemplantur, eas ut veluti occasionem semper bene viuendi habeant, & ceu stimulum ad viaticum itineris conquirendum vsurpent, illud sub fine experientes, quod Apostolus ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.*

Incitari nos debere ad mortis preparationem, cum quantum bene mori referat consideramus.

COLLOQUIVM XXIV.

THEO.

OSTENDIMYS haectenus quantum ti apud nos moriendi necessitas valere debeat, ut ad id expediremur: demonstrauiamus breuitatem & velocitatem temporis quo saluti nostrae non indormiremus nunc itaque & illud declarandum esse videtur, quomodo ceu acutissimo stimulo ad sollicitum nos praeparandum, & ad apparatus generale omni-

omnium modorum foelicissime re-
 bus humanis valedicendi excogita-
 dum, ea consideratione nos incitare
 & extimulare debeamus, quæ qua-
 tum piè mori referat examinat atq;
 perpedit. Huius nos pondus ac mo-
 mentum ex similitudine negotio-
 riorum, quibus mundus distinctur,
 liquidius aliquanto cognoscemus:
 Tres enim admodum res sunt, pro-
 pter quas aliquid magni momenti
 esse possis arbitrari. Prima est, cum
 in ea bona fortunæ vertuntur, quæ
 possessiones, honores, dignitatesq;
 appellantur. Secunda, cum corpo-
 ris ea bona concernit, sanitatem
 libertatem, aut vitam. Tertia, cum a-
 nimi bona attingit, artes, scientias,
 ac virtutes: Quæ omninò diuisio, at-
 que partitio ex ipsis veterum Peri-
 pateticorum scholis est deducta.
 Habent autem res istæ singulæ, tan-
 tum apud homines ponderis ac au-
 thoritatis, vt nemo non omnibus
 viribus annitendum sibi putet, aut
 ad eas acquirendum, aut vero etiam
 conseruandum. Ac primum quidem
 genus mirabiliter eos excitat atque

H. 5. in-

inflammat, qui ut rem augeant, ope
 accumulent, honores aucupentur
 quidlibet laborum ac molestiarum
 deuorare non verentur: secundum
 vniuerso orbi faces admouet ut de
 ses non sit, neminem enim reperias
 qui non aliquid sibi laboris & operis
 sumat, pro vitæ suæ conseruatione
 tertium accedit efficacissimum apud
 eos, qui ingenijs excessiue sunt,
 quemadmodum præclaræ
 Philosophiæ vestræ antesignanus
 Aristoteles docet: singulæ autem cū
 signis euidentibus notisque claris-
 simis, extremum nostrum de rebus
 humanis discessū illiusq; apparatus
 ita comitantur, ut pressius eum om-
 ninò sequi non possint. Ad primum
 enim quod attinet, vertitur in eo
 possessio non parui alicuius domi-
 nij aut exigui principatus, sed am-
 plissimi regni, ac regni non terre-
 ni, sed cœlestis: Vertitur in eo
 terna gloria, vita immortalis, &
 ut vno verbo omnia complectar,
 foelicitas, quæ omnia bona animi
 & corporis continet absque vlla
 la mali commixtione. Si mundi in-
 finita

*Arist. 3.
 Topic. 1.
 ma. mor.
 c. 3. 2.
 Eth. c. 8.*

*Foelicitas
 est status
 omnium
 bonorum
 congrega-
 tione
 perfectus.*

finiti producerentur, quemadmodū
 olim Democritus somniabat, non
 modo nostro huic similes, verumet-
 iam illo pulchriores, eisque Monar-
 cha præffet tranquillus & florens,
 iuxtaque omni scientiarum genere
 apprimè instructus, is tamen abie-
 ctus foret. & minimus etiam eo-
 rum qui beatorum superna foelici-
 tate perfruuntur. Nam etsi ad ho-
 nores, scientias, animique dotes, ac-
 cesso ei fieri nulla possit, ea tamen
 cum ipso regno finem suum & in-
 teritum tandem sortiuntur, quod
 ab æterna illa possessione, multò
 quam alienissimum est. Iam verò
 secunda etiam circumstantia, quæ
 nobis calearia subdere, stimulos ad-
 mouere, facesque debet adhibe-
 re, vt tempestiuè & quam matur-
 rimè potest operi manum injicia-
 mus, rationemque in consilium ad-
 hibentes, persuasissimum nobis
 habeamus, si has diuitias, hanc
 gloriam, vitam, ac beatitudinem
 vilipenderimus, neque vt eam
 consequamur annisi fuerimus,
 fieri omnino non posse, quin

H 6. æter-

*Plut. l. 1.
 de opini-
 onibus
 Phil. c. 1.
 Simile.*

æternam paupertatem subire, con-
 fusionem, supplicia, exilium, mor-
 tem & miseriam sempiternam sus-
 tinere debeamus; nec primum il-
 lum statum deserere, absque alterius
 infœlicissima acquisitione. Id nos
 hoc loco accuratius aliquantò con-
 siderabimus, quemadmodum reue-
 ra dignissimum est, oppido vt an-
 xiè, attentè, ac studiosè perpenda-
 tur. Nam cum sicut sanctus Diony-
 sius docet, bonum malo fortius sit,
 maioremque semper animis altis &
 exaggeratis vim adhibeat vbi igno-
 rantia aut corruptio aliqua metu-
 da est, sicut plerumque rebus huma-
 nis accidit, ita potius dolor in gyro
 rationis nos continet quam volup-
 tas, minæ quam promissa, timor
 quam spes: Ipsæque adeò bestia
 quemadmodum D. Augustinus ad-
 uertit, reliquis efferaciores, sepe nu-
 merò à voluptate se abstinēt, ab eaq;
 potentissimo doloris freno retrahū-
 tur. Hominum autem ita plerique
 habentur, vt nec promissa & polli-
 citationes æternæ vitæ eos moren-
 tur, nec verò etiam iacturam illius
 per-

*S. Diony-
 sius. c. 4.
 de diuin.
 nomin.*

*S. Thom.
 1. 2. q. 35.
 1. 6.*

*S. Aug. 1.
 15. q. 36.
 6. 4.*

pertimescant; sed istud sibi antiquis-
 simum ducāt porcorum Epicuri in-
 star in turpissimarum voluptatum
 coeno & foeditissimarum libidi-
 nū fordibus ita, volutari, nunquam
 vt sursum oculos attollere, aut coe-
 lum ijs liceat contemplari. Verum
 longē aliud viuendi institutum di-
 uerſa vitæ ratio, & agendi consuetu-
 do admodum ab hac dissimilis se-
 quenda est: nimirum aut Paradi-
 sum aut Infernum inspicias oportet;
 reddes exactissimam rationem: ma-
 gno illi Patri familias, qui pecuniā
 tibi suam credidit, vt ea fideliter &
 bene ad negociandum vterere: pro-
 feres illi inquam tabulas accepti &
 expensi, qui ipsa sciētia est: explica-
 bis ei tua facta, qui est ipsa iustitia;
 quo ijs aut tormenta aut præmia
 conferat: ipsa potentia quo placita
 ac scita sua obseruari faciat, ijsque
 auctoritatem conciliet: Necessario
 aut corona pro laboribus ac bonis
 operibus dabitur, aut infidelitas, &
 supina negligentia poenis inferna-
 libus punietur. Potestne ergo ratio
 reperiri vlla, vlla merces, vllū sup-

Deus ex-
actissimā:
rationem:
à nostris:
actionib⁹
reposeat.
Mat. 12.
36. 18. 23.
25. 15.
Luc. 16.
19. 2.
Rom. 14.
12. 2.
Cor. 5.
10.

plicium, quod maioris ponderis ac
momēti sit? Potestne excogitari ali-
quid, quod nos vehemētius moueat,
potentius impellat, & efficacius sti-
mulet. Potestne negotium reperiri
vllū, quod nostram libertatem abs-
que violentia ad officium præstan-
dum plus vrgeat, quam promissio i-
sta summi boni, & minæ summi ma-
li? Si itaque nos nobismet deesse vo-
lumus, ecquem tādē coram gene-
rali illo iudice Patronum sumus ha-
bituri? Quis nostram causam ager?
Quis rem nostram tractandam sus-
cipiet, si nos eam modo prodimus,
atque deserimus? Econtra autem
quis tunc nos non accusabit? Quot
habituri iuratus qui cum nostra con-
scientia ante Dei tribunal condem-
nationis sententiam in nos ferant?
Omnes reuera creaturæ dicent, &
nos adēd ipsi sine illis scimus, quam
industrij, gnavi solertesque simus,
quot lites intendamus, bella mouea-
mus, cum de bono vel honore ali-
quo amittendo agitur, de fama aut
retinenda aut adipiscenda. Cū
verò vita etiam, nostra periclitat-
tur,

tur, quam non opibus, non pecuniæ,
 non amicis parcendum esse arbitre-
 mur. Et cur ista negotia tanto cum
 ardore ac cura administrantur? Cur
 adeò sollicitè eas res seruare stude-
 mus? Cur tantum propter illas mo-
 limur, quæ sua leuitate ac incon-
 stantia illud effectum dabūt, vt non
 modo te de medio tollant, sed etiam
 ipsæ breui tempore tollantur? Vide
 mihi sis, quod tu adeò diligenter cu-
 stodis: pugillum terræ, foenum, fu-
 mum, & vanitatem: nam quid so-
 des mundus iste aliud est? aurum, ar-
 gentum, cibus, nunquid aliud quid-
 piam sunt? Quid aurū est, si flaua ter-
 ra non est? Quid argentū, si nō terra
 alba? Quid cib⁹, si terra pascuosa nō
 est? Demū quid est omninò vniuersa
 caro nisi fenum, omnis voluptas nisi
 fumus, omnis mundi gloria nisi va-
 nitas? Videmus hæc, audimus, senti-
 mus, & indies experimur: & cum vi-
 demus mundum adeò auidè has ne-
 bulas venari, quid nobis faciendum
 erit in studijs rerū celestiū, incōpre-
 hēbiliū, & immortalīū? Quid etiā
 vt sempiterna supplicia effugiam⁹?

Sicen-

Si centies mille admodum vitas habereimus, nunquid eas profundendas existimaremus? Si modi, si rationes ex oriente, ex occidēte pendendæ essent, an molestiæ, an labori vlli supersedendum nobis putaremus? Quis nos tunc tutaturus est, cui conscientia nostra omnia isthæc nobis suggeret atque proponet? Nunquid allegare poterimus intempestiuè aut serius eorum nos cognitionem accepisse? Non opinor, sex enim admodum milia annorum sunt, ex quo Deus cæpit per se, per angelos, per homines, per rationem, & per exempla nos inuitare, blandiri, minari, castigare, vt ea disceremus & perspiceremus. Ex quo inquam auxilia & subsidia necessaria ad hæc nobis obtulit, vt ea exequeremur, & quam nos denique excusationem excogitaturi sumus? Concludamus ergo considerationem istam super momentofo hoc nostro discessu, existimare nos debere & excitare ad diligentem præparationem adhibendam. Et quemadmodum in eo bona nostra, hoc est, æterna, immortalia

alia, ac sempiterna vertuntur; ita nos obligari certo nobis persuadeamus, omnes ut industriae nostrae nervos intendamus, & omni tempore, omni loco, summo studio, diligentiaque ad ea adspiremus.

Vera preparatio ultimi nostri discessus in peccatorum expurgatione, & Christianarum perfectionum exercitio consistit.

COLLOQUIUM XXV.

THEOL.

ISTIS ergo ita constitutis, quae haec tenus à nobis in medium prolata sunt, facile omnino intelligitur, preparationem hanc aliud nihil esse, quam virtutum Christiano homine dignissimarum studium. Et quo luculentius paulò quod dico intelligatur, notandum est in tribus punctis eam versari: Primum est, ut ea omnia removeamus, quae in hoc itinere aut impedire nos possunt: Secundum, ut ea conquiramus, sine quibus commodè id haberi non potest. Tertium, ut ab ijs instruamur quae pretiosa sunt, quaeque fidem nobis

bis